

pro luce habére illam, quóniam inexstinguibile est lumen illius.

Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illius.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 89, 12-13. 14-15. 16-17 (R.: 14)

R. Reple nos misericórdia tua, Dómine, et exsultábimus.

¹² Dinumeráre dies nostros sic doce nos, ut inducámus cor ad sapiéntiam.

¹³ Convértere, Dómine, úsquequo? Et deprecábilis esto super servos tuos. R.

¹⁴ Reple nos mane misericórdia tua, et exsultábimus et delectábimur ómnibus diébus nostris.

¹⁵ Lætifica nos pro diébus quibus nos humiliásti, pro annis quibus vídimus mala. R.

¹⁶ Appáreat servis tuis opus tuum, et decor tuus filiis eórum.

¹⁷ Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum confírma super nos, et opus mánuum nostrárum confírma. R.

Lectio secunda

*Sermo Dei discretor cogitationum
et intentionum cordis.*

Léctio Epístolæ ad Hebræos

4, 12-13

Vivus est Dei sermo et éfficax et penetrabílior omni gládio ancípiti et pertíngens usque ad divisiónem áni-